

LINIMENTA MELLITA.

MEL BORAXATUM.

- ℞. Boracis drachmam unam—duas.
 Mellis despumati unciam unam.
 Miscere terendo. Interdum additur:
 Extracti Drupe immaturæ Juglandis
 regiæ drachma una—duæ.

Usus: Aphthæ oris et faucium ex hydrargyro, aut acido primarum viarum.

MEL CUPRATUM.

SYN. *Unguentum Ægyptiacum s. Oxymel Æruginis.*

- ℞. Acetatis cupri drachmam unam.
 Mellis despumati unciam unam—duas.
Vel:
 ℞. Oxydi cupri viridis unciam unam.
 Aceti uncias septem.
 Ut fiat solutio, cui adde
 Mellis despumati uncias quatuordecim.
 Coque ad debitam consistentiam.

Usus per se vel aqua diluti, aut pro re nata

LINIMENTA MELLITA. 641

cum unguento digestivo mixti : Ulcera scrophulosa aliave rebellia ; ulcera gingivarum, linguæ, etc. — Cavendo ne æger portionem deglutiât.

MEL HYDRARGYRATUM.

- ℞. Oxydi hydrargyri nigri drachmam unam.
Mellis despumati unciam unam — duas.
Misce probe terendo.

Vel :

- ℞. Hydrargyri purificati,
Mellis despumati, ana unciam unam.
Misce terendo, donec globuli hydrargyri perfecte disparuerint.

Usus : Ulcera syphilitica aliave sordida, in quibus longe præstat unguentis aut emplastris pinguibus.

MEL E MURIATE HYDRARGYRI.

- ℞. Muriatis hydrargyri præcipitatione parati drachmam unam.
Mellis despumati unciam unam.

Usus idem ac præcedentis.